DE OEDEMATE RECENS NATORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AUGUSTUS OCHLITZ
HAMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
HUG. BEHRENS, MED. ET CHIR. DR.
FERD. FRONING, MED. ET CHIR. DR.
FRID. KIRSCHSTEIN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Habent sua fata libelli.

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO

H. EBERT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO BEROLINENSI, IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA PRIVATIM DOCENTI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI,

PRAECEPTORI SUMMOPERE VENERANDO,

FAUTORI BENIGNISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Recens natorum oedema, quo nullus fere morbus plus corripit infantes, pluribusque conjunctus est cum periculis, eo existit, quod in telam cellulosam subcutaneam serum est immissum, id quod ex dura, tumida, proprie tincta quibusdam corporis partibus cute colligas. Plerumque afficit debiles, imbecillos, immaturos inde a primo partus momento usque ad quintum vel septimum diem, et celerrime acerrimeque decurrens letalem adducit exitum.

Historia.

Frustra hujus morbi signa ab auctore quopiam notata quaerentes, ne ullo quidem loco, nec in pristinis libris medicis ejus mentionem factam esse invenimus. Primam observationem anno 1718 Uzenbezius quidam, medicus Ulmensis, nobis prodidit, sed ejus perpauca in morbum nostrum quadrare videantur. Per multorum annorum spatium tum haec membranarum durities, quae nominabatur, oblivioni tradita esse videbatur, et quasi naturae portentum et res valde miranda habita non amplius, ut fieri solet, medicorum ingenia exercebat, donec anno tan-

dem 1762 a Guilelmo Huntero [1]) eam commemoratam reperimus, neque omnino illam omissam esse per Raulinum [2]), qui ejus mentionem facit, edocemur; quin etiam infantes illos *duros, frigidos, induratos, congelatos*, de quibus Andry [3]) loquitur quosque obstetricibus in nosocomiis Parisiensibus jamdudum notos fuisse dicit, hoc morbo correptos fuisse verisimile est. Sed primam accuratiorem subtilioremque relationem anno 1785, postquam identidem Denman, Underwood et Doublet curam in hunc morbum converterunt, ab Andry et Auvity [4]), medicis Gallicis, institutam esse videmus, quorum posterior praecipue rem copiosissime et diligentissime tractavit. Etiam quae Hulme et Naudeau contulerunt ad has quaestiones, ea non despicienda sunt. Inter Germanos vero imprimis Stütz et Lodemann in hoc argumento operam collocarunt, quos deinceps magna turba, ut J. Frank, Wichmann, Henke, Wendt cum multis aliis excipiebat. Nihilominus in Germania, qui illum morbum perscrutarentur, pauci tantum exstiterunt, et de eo clariore luce illustrando prae ceteris optime medici Gallici meriti sunt. Ita, quum Heyfelder [5]) solus hunc morbum copiosius tractaret, in Gallia complures in re gravissima collustranda vires

---

[1]) Guil. Hunter, Remarks on the cellular membrane and some of the its diseases. 1762.

[2]) Raulin, De la conservation des enfants. 1768.

[3]) Andry, Mémoires de la société roy. de méd. 1784 et 1785. p. 207 — 21.

[4]) Auvity, Mémoires de la soc. roy. de méd. 1787 et 88. pag. 328.

[5]) Heyfelder, Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen. Leipzig 1825.

exercuerunt, ita ut Léger, Denis, Billard, Valleix ad optimas pervenirent fruges.

Vel nunc morbus circumfertur nomine *indurationis telae cellulosae*, *scleroseos*, *sclerematis*, *scirrhosarcae*, neque nostrae gentis pathologi a se impetrare possunt, ut hoc nomen cum illo a Billardo primum commendato commutent, quod sane optime et accuratissime rem exprimit.

Anatomia pathologica.

Pathologica hujus morbi natura quum diu jacuerit, non est quod miremur, plurimos imprimisque antiquissimos scriptores falsissimam de morbi natura et caussis opinionem animo imbibisse. Luce quidem clarius apparet, accurata solum ac diligenti disquisitione anatomica morbi cujusvis originem caussasque detegi, et hac disquirendi via studiorumque ratione eam medicarum literarum perfectam scientiam parari, qua solum in curatione usque ad hunc diem obscurissima, maxime debili, falsissima progredi possimus. Quum in universum satis accurate medici antiquiores hunc morbum perquisiverint, nullus tamen inde omnino fructus in anatomiam pathologicam redundabat, aut quae invenerant, tam imperfecta erant et tam manca, ut vix eorum ratio habenda esse videatur. Quid? quod superioribus ex auctoribus Andry, Auvity et Hulme solum sectionem instituebant; quod nec Stütz, nec Lodemann, quid cadaveribus sectis paratum esset, memoriae prodidit, ceterique, qui erant medici Germanici, de anatomia pathologica prorsus silent. Heyfelder demum primus omnium is fuit, qui cum popularibus, quae in nosocomiis Parisiensibus ab ipso erant

animadversa, communicaret. Ac ne Palettae quidem institutae in cadaveribus observationes [1]) admodum perfectae erant, dum tandem Billardus [2]) tam nova totam rem luce collustravit, ut, quum ab eo nova hujus rei aera incipiat, acutissimi illius auctoris vestigia in hoc argumento exponendo nobis premenda esse videantur.

Mortui igitur, ut jam ab hoc exordiar, in universum parvi, corporis forma debili; Heyfelder 17 pollicum magnitudinem apud plurimos se invenisse contendit. Cutis durities per aliquod tempus post mortem adhuc obtinet, paullulum mox emollitur et corii tamquam speciem et naturam induit. Ipse vero cutaneus color et in diversis mortuis et in diversis corporis partibus valde differt, nam modo coeruleus et canus, modo flavus et subflavus est; imprimis vero illum conspicias colorem flavum in ore et in genitalibus. Variis porro in partibus, ut in cruribus, in abdomine, quin etiam ipso in cranio, paullo post mortem existunt sugillationes Oris anguli toti flavo quasi distincti sunt margine, labia nimis turgida, crassa, splendida, extremitates interdum fuscae, brachia et crura subfusca, indurata, rigida, quod praesertim in externa facie videre licet. Ac si loci, ubi morbi sedes erat, incisionem feceris, magna glutinosi serosique liquoris vis effunditur, quem Auvity aqua fervida coagulari, aqua frigida fluidum remanere affirmavit, quique colore modo flavo, modo cano, modo subnigro conspicuus est. Ex

---

[1]) J. B. Paletta, Exercit. pathol. Mediolani. 1826. p. 133 et 134.

[2]) Billard, Recherches d'anatomie et de physiologie pathol. sur plusieurs maladies des enfans nouv. nés. Paris 1826. — Ejusd. Traité des malad. des enfans. Paris 1828. p. 169.

apertis cutis venarum luminibus magnis demittitur guttis niger sanguis, quod eo magis animadversione dignum esse videtur, quia venis cutaneis post mortem nullus sanguis inesse solet. Quem eundem liquorem pluribus unius ejusdemque mortui locis Heyfelder diversi esse coloris reperit, etenim in genis et genitalibus flavus, in suris et cruribus niger conspiciebatur. Unus tantum Auvity oedema in ipsis musculorum interstitiis, quin etiam usque ad ipsa ossa detexit. Billard infiltrationem quandam, admodum parvam et particularem, ad ipsos musculos provectam, oedematis esse sibi persuaserat quidem, attamen Valleix [1]) id nonnisi inflammationum aliorumve morborum exitu inveniri, et quam gravissimis anatomices argumentis ab acuto oedemate discerni intellexit. Tela adiposa ipsa admodum grumosa est, sed singuli grumi magis inter se divulsi sunt, et infiltratione permagna facta quum omnes, tum infimo loco positi distant. De tela adiposa, imprimis de ea, quae inter varia cutis strata intercedit, ratione hujus morbi, postea dicendi erit locus. Prope aponeurosin gelatina quaedam ac pellucida materia, permultum serum continens conspiciebatur. Haec est mire extenta illa seroque completa tela cellulosa, 2 — 5‴ lata. Sed accuratissime, ita ut vel illas antiquiores longo post se reliquerit intervallo disquisitiones, Gluge [2]) hanc in rem inquisivisse mihi videtur, qui quum subtilissimarum, quae deprehenduntur in tela cellu-

---

[1]) F. L. Valleix, Clinique des maladies des enfans etc. Paris 1838.

[2]) G. Gluge, Anatomisch - patholog. Untersuchungen zur allgem. und speziellen Pathologie Minden und Leipzig 1839. Sct. 1. p. 129.

losa et adiposa, anatomicarum conditionum claram et pellucidam imaginem nobis expresserit, jam eandem hic subjungere placuit: „Haut- und Zellgewebe" inquit, „bieten schon dem Auge einen ganz eigenthümlichen Anblick. Es bilden die Zellen des Zellgewebes, in dem das Fett abgelagert ist, regelmässig dichte Fettklumpen, gelblich, röthlich oder weiss, je nach dem Erguss und dessen Imbibition; das Fett erscheint wie erstarrt; man findet gewöhnlich röthliches Serum im Zellgewebe, das unter dem Mikroskope keine andern Theile als sparsame Blutkörper zeigt; die Fasern des Zellgewebes haben durchaus nicht an Durchmesser zugenommen. Die Fettcysten aber boten einen bedeutenden Unterschied dar, selbst in weniger ausgebildeten Graden, d. h. wo nur einzelne Glieder verhärtet waren und wo die gesunden Theile also zugleich einen sichern Vergleichungspunkt darboten. Die Fettcysten zeigten nicht jene platte, sondern eine mehr körnige Fläche, und durch Druck entleerten sie in hohen Graden gar keine, in geringeren nur wenige Fettkügelchen, so dass hier die Structurveränderung oder vielmehr Erstarrung in den Zellen evident ist." Chevreul [1], qui chemice serum exploraverat infantum oedemate affectorum, illud, ut sanguinis serum, caloris vi coagulari ostendit. Leviter alcalinam habet naturam, ita ut alcohole addito albuminosa substantia praecipitetur, quae modicum tantum colorem flavum obtineat. Liquor vero filtratus et evaporatus tam rubre distinctam

---

[1]) Chevreul, Considérations générales sur l'analyse organique et sur ses applications. Paris 1824. p. 218. — Literas a Chevreul hac de re ad Breschet scriptas, vide in Leger: Considérations sur l'endurciss. du tissu cell. Paris 1823. p. 26.

continebat materiam oleosis guttis haud dissimilem, quam substantiam resinae bilis similem. Sanguinis serum praecipuas easdem, quae telae cellulosae serum exploratum exhibuerat, qualitates habebat, namque et coagulabile erat et eandem continebat flave et viride distinctam materiam. Has disquisitiones ubi Billard ad accuratius revocaverat examen, Chevreul in eos tantum inquisivisse intellexit, qui oedemate cum icteri complicatione conjuncto affecti fuerant, quare factum esset, ut analysi illas coloratas deprehenderet materias; quin etiam, quae chemica Chevreul se deprehendisse professus erat, haud accurata aut falsa esse invenit, quum etiam in sanis serum coaguletur tantumque absit, ut illud in tela cellulosa condensetur, ut totus status nonnisi oedema sit illi persimile, quod in hominibus adultis, pulmonis aut cordis aut vasorum morbis affectis, reperiatur.

Cerebri tunicae magna sanguinis copia sunt repletae; in pia matre vero saepe serum est infiltratum; sinus venosi fusco sanguine referti, uti et venarum plexus, qui Varolii pontem, cerebellum et medullae spinalis initium praecingunt. Heyfelder semel haemorrhagiam in cerebro, pluries in medullae spinalis canale observavit. Bregmatis ossa Paletta ait multo sanguine penetrata cerni, quod ceteri, excepto Auvity, nunquam repererunt.

Respirationis systema multas quoque easque gravissimas exhibet mutationes; attamen quae hoc de ipso capite diversa diversi scriptores retulerunt, eorum examen fieri eo magis necessarium mihi videtur, quum nonnemo sit, qui pulmone pathologice commutato malum, quod ut primarium quasi fundamentum morbo subjectum sit, illustrari contendat. Semper fere, licet id modo plus, modo minus fiat, pulmones atro sanguine impletos inve-

nias, quare duri, solidi redditi saepe marmoratum colorem referunt, ita ut hepati aut lieni similes esse videantur. Haud stridunt, ubi digitos admoveris, et aqua superfusa imas partes petunt. Saepe pulmonum alter tantum hunc statum praebet et is quidem, cujus in latere aegrotans, dum vivebat, jacere consueverat. Hoc Léger comperit, quippe qui multos infantes in uno alterove latere collocasset. Sed in universum maxime sanguine ii loci repleti animadvertuntur, qui infimi sunt, quod nonnisi hypostasi fieri quivis facile perspiciat. Pulmones ubi congestione sanguinea turgent, duri sunt, caeruleo aut violaceo colore, ita ut fere inflammationis speciem induant; verum haec durities evanescit, dummodo magnis vasis incisis sanguis defluat et pulmones paullulum premantur et aqua submergantur, tum enim crepitus pulmonum redit et aër per tubulum in locos antea duros immitti potest. Plurimum igitur inter hoc et hepatisationem interest. Saepe nonnullis in locis atelectaseos natura utuntur pulmones, alibi vero, si pneumonia accesserit, splenisatio et hepatisatio deprehenditur. Andry et Auvity tantum commemorant, pulmones gangraenosos ab ipsis inventos esse, et Paletta quoque de singulari quodam casu refert, pulmonem dextrum adeo lividum exstitisse, ut in gangraenam abiisse videretur. Valleix ipse quum pulmonum atelectasin cum hepatisatione permutasse reperiatur, eo delaberetur necesse erat, ut saepissime pneumonia hunc morbum amplificatum esse pronunciaret, dum atelectasis plerumque fuerit, eo quidem magis fortasse statuenda, quod praeterea infantes et debiles et praematuri erant, eorumque respirandi organa nondum ad eum qui necessarius erat gradum adulta. In pericardio et saccis pleurae plerumque magna flavi

seri copia conspiciebatur, quod illius in telam cellulosam cutaneam profusi maximam habebat similitudinem. Larynx et trachea rubescunt, saepe sub tela cellulosa submucosa pharyngis, sub glottide et epiglottide illa oedematosa infiltratio apparet. Quo magis sanguine stagnante pulmones impleti sunt, eo minus cor eodem obruitur, unde fit, ut haud raro cor ejusque vasa ab omni malo immunia cernantur. Fere semper autem cordis cavitates et plerumque cor venosum sanguine liquido et subnigro abundant, structurae abnormitas sive forma alienata numquam reperitur; Valleix solus bis se in atrio dextro concretiones polyposas animadvertisse profitetur. Foramen ovale nullum structurae vitium nec figurae prae se fert, ejusque valvula aeque tenuis et translucida existit. Omne systema vasorum sanguine impletum saturatumque ita turgescit, ut haud inepte Valleix de his ita locutus esse videatur: „on se figure difficilement, combien ces enfants contenaient de sang; la moindre ouverture faite à une veine en inondait la table." Billard testatur ex 77 infantibus in 40 ductum Botalli prorsus obstructum, in 28 canalem ita coarctatum se invenisse, ut sanguis jam amplius permeare non posset. Hepar nimio prope semper est repletum sanguine, sed omnes auctores hypertrophiam non magis quam illas a Denisio memoratas abnormitates se invenisse volunt. Hoc quoque loco Billard se 90 cadavera dissecuisse, sed in 20 eorum tantum morbosam affectionem spectasse meminit. Vesica fellea et ductus biliferi nigro aut lurido felle turgent, ductus venosus Arantii, Heyfeldero auctore, plerumque patet. Nihil jam est, quod miremur theoriam illam, quam a Broussais approbatam plerique Gallici medici et sequebantur et omni studio defendebant,

in hoc quoque, de quo agimus, morbo perquirendo tam altas egisse radices, ut vel in eo Broussaei sectatores ubi vis gastroenteritidem deprehendere studerent. Quo factum est, ut multi tunicam mucosam modo inflammatam et ulceratam, modo tenuem et mollem se reperisse contenderent. Secundum Valleix tunica mucosa inter 23 infantes in 5 solum pathologicis mutationibus, nempe maculis rubris e congestione ortis et passim in ventriculo et intestinis conspicuis, affecta erat. Heyfelder in ventriculi et duodeni tunica mucosa rubescente non raro puncta albida, puris conglomerationi haud dissimilia reperit, quibus in casibus tunica mucosa haud ita difficile divelli poterat. Auvity solum ulcera reperit gangraenosa. Billard vero, quamvis in 50 illorum 77 casuum gastroenteritidem reperiret, nullam tamen anatomiae pathologicae habuit rationem, neque quid cadaveribus dissectis effectum sit, prodidit. Fortasse dedecet, me tironem et imperitum artis illius longe subtilissimae et difficillimae, quae infantum anatomiam pathologicam complectitur, contra judicem gravem et peritissimum in scenam prodire; vix autem persuadere mihi possum, Billardum sectiones modo commemoratas accurate diligenterque instituisse et perfecisse; imo nimis forsitan inflammationi tunicae mucosae amicus, semper fere eam cernere studuisse, et hanc ob causam Valleix hac in re praeferendus mihi quidem videtur, qui vir doctissimus, quum accuratius anatomiam infantilem perscrutatus sit, et ejus mutationes tam in vita quam post mortem incidentes acriter secreverit, normalem ejusdem statum, qui quam maxime ab illo adultorum recedit, clarius descriptum nobis exhibet. Ipse in multis sectionibus, quas instituendi singulari humanitate doctissimi Ebert facultas

mihi data est, ipse, inquam, quam difficillimum sit, intellexi, normalem organismi infantilis statum cognoscere, quin signis ab adulto organismo alienis fallamur, aut normales naturaeque legibus convenientes formationes corporis infantilis pathologicas habeamus mutationes, aut ibi impedimentum objectum deprehendere nobis videamur, ubi nihil ejusmodi acciderat, sed sanus tantum status conspici poterat. Léger [1]) ductum intestinalem *C* oedemate correptorum infantum, quorum aetas inter 3—5 dies, magnitudo inter 15—18½″ variabat, mensus est. Quibus disquisitionibus id effectum est, ut

1	infans	haberet	ductum	intestinalem	4′ 6″ longum.
2	«	«	«	«	4′ 10″
5	«	«	«	«	5—5½′
7	«	«	«	«	5½—6′
9	«	«	«	«	6—6½′
10	«	«	«	«	6½—7½′
15	«	«	«	«	7—7½′
16	«	«	«	«	7½—8′
14	«	«	«	«	8—8½′
9	«	«	«	«	8½—9′
5	«	«	«	«	9—9⅓′
3	«	«	«	«	9⅓—9¾′
2	«	«	«	«	9¾—10′
1	«	«	«	«	10½′
1	«	«	«	«	11′

Ex his si medium quendam computaveris numerum, ductus intestinalis illorum 7½—8′ longus fuit, certe

---

[1]) l. c. p. 24.

a normali longitudine recedens, quae fere $10\frac{1}{2}'$ esse solet. Quin etiam mireris, a Légero ductum intestinalem infantum, qui enteritide mortui erant, ita extentum observatum esse, ut fere $14\frac{1}{2} - 15'$ longus esset. Sed Billard suas disquisitiones cum his Légerianis consentire non invenit; Valleix ductum quodammodo decurtatum esse concedit, et exp. Ebert, qui persaepe hoc investigare studebat, ipse ut videret sibi non contigisse mihi affirmavit. Diametrum unus tantum Léger emensus est, qui eam a pennae usque ad pollicis latitudinem et quod excurrit distentam esse scribit. Maxime intestina tenuia hujus rei participia sunt, intestinis crassis contra naturalem obtinentibus longitudinem. In vesica urinaria raro tantummodo tunica mucosa tenuis, crassa, oedematosa, sed plerumque sine ulla mutatione reperitur; ganglia sympathica et mesaraica saepe tumescunt, mollescunt.

Symptomata.

Generali antea definitione praemissa, ad singula jam transeamus symptomata, quae brevi quidem et presse, sed quam possumus accurate et diligenter, exponemus, quoniam his demum cognitis firmior certiorque evadit diagnosis. Fere plurimi, qui huic morbo explorando majorem operam dederunt accuratiusque in eo illustrando versati sunt, et quod ad symptomata describenda et quod ad alios acriter clareque ab hoc segregandos morbos attinet, valde inter se dissentiunt et adhuc sub judice lis est, num prioribus oedematis descriptoribus eadem illa, quam nunc hoc cum morbo conjunctam habemus, notio ante oculos observata sit. Quod ad nostri thema-

tis ambitum pertinet, hoc in libello singulos a singulis scriptoribus prolatos et decantatos morbos nominare et referre non animum induximus, quum haec magna sane et perdifficilis veterum recensio minime ad nostrum spectet propositum, sed recentiorum potius scriptorum observata referemus eorumque argumenta et sententias, quantum id quidem pro virium nostrarum imbecillitate fieri poterit, dijudicabimus. Nostri auctores in morbo describendo sunt imprimis Billard et Valleix, qui quum per longam annorum seriem insignem casuum copiam observare potuerint, ex his perquisitis plura eaque nova confecerunt. Priusquam igitur de ipsis symptomatibus singulatim et accurate describendis plura dicamus, non alienum nobis videtur, primam hujus morbi descriptionem lectori benevolo proponere, quo magis vel ex ea ipsa de similitudine et affinitate judicari possit. Memoratu admodum dignum hunc locum huc transscribam, quemadmodum in Ephemeridibus academiae Caes. Leopold. Carolinae naturae curiosorum a. 1722. Centur. IX. Observat. 30. p. 62. inveni. Scriptor ejusdem Joannes Andr. Uzenbezius (vel ut in Ephemer. nominatur, Usenbenzius), medicus quondam Ulmensis, „pepererat," inquit, „in nosocomio nostro a. 1718. uxor circa finem octavi ab impraegnatione mensis partu satis molesto filiam, quam primum autem obstetrix officio suo ignaviter fungens eandem susceperat, stiriam se quasi suscepisse statim asseverabat, non solum frigiditatis intensissimae, sed etiam rigiditatis plane insolitae et quasi ligneae, ut ne buccis quidem forti quamvis manu fovea notabilis imprimi potuerit, verbo, tota corpusculi compages erat adinstar carnis fumo valde exsiccatae et induratae; et nisi respiratione eaque admodum levi vitae

praesentiam prodidisset, vere jamjam demortuam omnes credidissent. Quo igitur in tenellum hunc, cetera tamen optime formatum, nec nimis *ἄσαρκον* foetum omnis debita et sollicita cura impenderetur, calidis linteaminibus involutus, imo et ad fornacem positus, optime et blandissime fovebatur; attamen uti statua lignea e calore quidem incalescebat, ab eodem vero remotus citius eodem refrigescebat rigore a capite ad calcem continuo perennante, in quo etiam statu per integrum triduum sine cibo et potu, quum maxillae prae rigiditate diduci nequierint, permanebat, quo absoluto animulam suam sine sensu et motu, nec ullo vagitu quidem, creatori, a quo accepit, placidissime reddidit. Raram certe notatuque dignissimam judicavi hanc observationem."

Malum subito semper fere nascitur, sine ullis signis antecedentibus, inquietudine et ejulatu exceptis, quae sunt indicia quidem aliis morbis plerisque infantum communia; huc accedit respiratio difficilis, vox imbecilla, exilis, calor exiguus, sed vulgo haec omnia desunt et morbus subito cum omnibus propriis emergit signis. Quae quidem sunt haec:

Oedema. Maxime eas occupat partes, quae a corde valde remotae tela abundant cellulosa, quo fit, ut plerumque ab extremitatibus inferioribus et maxime a pedibus incipiat. Semper paene suras primum invadit, tum crura et praesertim externum eorum latus, genitalia et regionem hypogastricam, deinde, ad posteriores corporis partes transiens, anum corripit. Antibrachia et manus carpus jam initio morbi post pedes affectos, deinde brachia ipsa, collum et facies morbo occupantur. Rarissime oedema primum in buccis, priusquam pedes invasisset, conspiciebatur, ubi tum macula parva, dura,

oedematosa sub ipsis palpebris apparebat. Ita Valleix oedema bis tantum in buccis, et Ebert, auctor gravissimus, inter 50 casus ter vidit, ubi primum oedematis vestigium sub ipsis palpebris erat expressum, in ceteris contra omnibus a pedibus manibusque exordiebatur. Raro tantum, quam Wendt quidem consuetam esse [1]) affirmavit, quamque Paletta statuit, in thoracis parte anteriore morbus sedem collocat; Heyfelder ter tantum oedema usque ad pectus pertinere animadvertit; Lodemann [2]) denique, Valleix et Denis semel iterumque tantum pectus oedematosum esse cognoverunt. Extremitates curvatae eorum cadaverum articulis similes, quae longum per tempus frigori erant exposita; quae partes primum erant oedemate correptae, in morbi decursu quam maxime turgescunt, ita ut planta pedis concavam et planam cum convexa rotundaque forma commutet, quam plerique haud apte, ut mihi quidem videtur, cum asini dorso compararunt. Quam maxime vulgo oedematosus tumor partes genitales corripit, praeputium et scrotum puerorum, labiaque pudenda magna puellarum. Gravissimum igitur symptoma est tumor, qui quum plane oedematis naturam referat, digito impresso cedit foveamque aliquam relinquit. Morbi quidem initio minus hoc fieri solet, unde Auvity etiam eo adductus esse videtur, ut hoc in oedematis genere foveam illam, anasarcae propriam, relictam conspici negaret; in minore quidem gradu fovea nonnisi aegre formari potest, in magno vero oedemate semper relinquitur et lente tan-

---

[1]) Wendt: Kinderkrankheiten. Breslau.

[2]) v. Hufeland's und Himly's Journal der prakt. Arzneik. 1810. Oct. p. 57.

tum completur. Huc accedit, quod singulariter dura et distenta est cutis, ita ut affectas partes duriores esse sentias, nonnullique scriptores, exempli gratia Underwood, cutem cum ipsis subiacentibus musculis cohaerere, quin etiam in casibus acutissimis ossi ipsi quasi infixam esse pronunciarint: attamen cutem semper plicare et prorsus, quo velis, movere potes.

Cutis natura. Cutis naturali suo statu leviter rubro colore tincta, hic violaceam quandam speciem refert, simulque ejus superficies ita sicca et horrida invenitur, ut humidae mollique, qua alias sani infantis integumenta gaudent, naturae perquam opposita sit. Epidermidis exfoliatio, non ita multo post partum incipiens, non incipit. Primis morbi diebus cutis, imprimis pedum, violacea est, postea jam haec ubi evanuit, ejus in locum flavus quidam praecipue in ore succedit color, qui paullatim gravior factus ad icterum denique quam maxime accedere videtur. Pedes tantum interdumque manus violaceum illum retinent colorem. Nonnullis in casibus colorem nullo modo, ut Wendt ait, commutari, omnes ceteri negant. Ac sane cutis color magno momento in symptomate constituendo neutiquam mihi videtur, quum eundem vel in secundo rerum statu iisdem fere, quibus in hoc morbo, vicissitudinibus obnoxium esse videamus; quamobrem maximas profecto debemus gratias Billardo, qui ad integumenta ita primis a partu diebus in infantibus colorata nostros advertit animos eorumque refutavit errores, qui quum has regulares mutationes vicesque ignorarent, semper icterum sibi videre videbantur ac — proh dolor! — nimis saepe infantilem organismum iis aggrediebantur remediis, quae magnum afferrent damnum necesse erat.

Frigus. Maximi momenti hoc symptoma est, eo magis ingravescens, quo gravior, quo magis extentus, quo recentior tumor oedematosus est. Omnia, quibus normalem temperaturam restituere studemus, remedia aut ad irritum recidunt, aut nonnisi in momentum aliquod et lente imperfecteque calorem exstinctum resuscitant. Frigus ad omnes oedemate correptas partes pertinet et vulgo in thorace tantum paullulo remissius est. Pedes primi frigescunt, postremum vero totum corpus adeo frigore tentatur, ut explorans manus injucunde afficiatur. In uno tantum infante a se frigus animadversum esse Auvity negabat, at in hoc morbus cum erysipelate infantili conjunctus erat, et ubi idem se invenisse Valleix scribit, facile et feliciter morbus decurrit. Heyfelder, qui in hac re perscrutanda thermometro usus erat, et hieme et aestate in oris cavo, morbo jam multum provecto, 21°R., 25—28°R. morbo primum ingravescente reperit; Léger vero in magno oedemate 18—20°, in parvo 25—28°; Elsaesser in fossa axillari 19—21°, in cavo oris 19—23° caloris invenit. Valde igitur a temperatura oris naturali, quae inter 30—32° variat, differt.

Respiratio. Respiratio semper valde immutata est. Inspiratio celeris, brevis, interrupta vix conspicitur, thorax difficile et aegre tollitur, sequitur deinde exspiratio longa, quo fit, ut intervalla inspirationum crescant et augeantur. Nullo igitur pacto respiratio, quam alii, exempli gratia Blanche, frequentem commemorant, frequentior fit, sed e contrario retardatur, superficialis et abdominalis est. Thorax ipse, postquam inspiratione sublatus est, celeriter in perfectam atque absolutam relabitur inertiam. Valleix inspirationes, alias 38ies —

64ies repetitas, sedecies usque octodecies intra sexagesimam horae partem factas invenit. Tantummodo in hoc morbo cum pneumonia complicato respiratio accelerata deprehenditur. Atque illius retardationis et debilitatis etiam

Circulationis systema particeps est. Nam infantum pulsus, qui jam per se perita solum et gnara manu sentitur, in his aegrotis re vera est tanta difficultate et molestia explorandus, oedematis in antibrachio tumore arteriam percutiendam non contegente, ut semper fere manibus explorantibus elabatur et rarissime ad numerum revocari queat. Semper jam parvus, debilis, tardus, in extremo morbo evanescit, et diutissime in arteriis axillaribus animadvertitur, ubi adhuc restat, quando jam alibi exempli causa in carotidibus et temporalibus defecit. Plerumque inter 60 — 72 variat. Ipsi cordis ictus tam debiles et lenti, ut stethoscopii ope vix eos percipere possis.

Vox infantis clamitantis tam singularis et propria est, ut semel auditam nunquam oblivisci possis. Vagitum suppressum, valde imbecillum, exilem stridulumque infans edit, quem haud inepte Dorfmuellerus [1]) cum murium stridore comparat.

Aegroti somnolenti, magno stupore affecti, tanquam alto somno obruti jacent, immobiles interdum nec lac sumunt, nec vagire possunt, stupent, nec sitiunt, nec cibi sunt cupidi, et vehementes corporis affectiones irruentes ne vagitu quidem a se sentiri ostendunt. Caput sinistrorsum aut dextrorsum tarde convertunt, cete-

---

[1]) v. Stark's neues Archiv für Geburtshülfe. T. 3. Sct. 1. p. 83.

rum tranquilli sine motu jacent. Quidam auctores, ut Andry et Auvity convulsiones, trismum opisthotonumque oedematis symptomata referunt, quae quidem numquam cerni prope omnes consentiunt. Sane os occludi solet, ita ut tumida labia porrecta sint inferiusque superiori obtegatur, sed neutiquam aeque spasmodice atque in trismo recluduntur; nam licet aegre magnaque cum difficultate infans id faciat, potest tamen saepe mammam petere, semperque digitus in oris cavum immitti. Infans paullulum tantum sugit, mox lethargicum in statum recidens, ex quo eum nisi magna opera resuscitare nequeas. Sed imprimis in quam animum advertas digna est oculorum natura, quippe qui singularem quandam speciem praebeant. Plerumque enim connivent, licet palpebrae oedemate non sint affectae, quibus si lux admovetur, quam sani infantes cupidissime petunt, aegre tantum et cum molestia oculos aperire student aegroti; superiores palpebrae saepe ita oedemate suffusae sunt, ut in sacci modum pendeant et pellucidae videantur. Lingua humida, rigida, alvi plerumque obstructio, rarissime diarrhoea, vomitus nunquam adest, et certe Denis in errorem incidit, quum sputum sanguinolentum effluens, quod etiam Auvity et Léger observabant, pro vomitu haberet. Urina parca et pellucida.

Decursus et exitus morbi.

Quid mirum, morbum, in quo gravissimae corporis functiones, quibus potissimum infans alitur, crescit et sustentatur, valde turbatae sunt, in quo plurima organa maxime aegrotant, semper fere ad mortem tendere et perpaucos solum ex morbo recreari et ad secundam

reduci valetudinem. Ipsa, quam modo attulimus, morbi descriptio universam exhibet imaginem, qualis plerumque inveniatur; raro nonnulla symptomata et quod ad quorundam amplificationem, et quod ad majorem vel minorem intensitatem attinet, a descriptis abhorrent. Exitus fere semper, ut jam dictum, letalis et mors viginti quatuor horis, aut diebus tribus vel septem praeteritis aegrotum invadit. Omnia postremo morbi signa crescunt augescuntque, durities magis magisque fit eburnea digitoque prementi haud ita cedit, frigore totum corpus valde tentatur, macie infans consumitur, oedema longius procedit, respiratio sanguinisque circulatio magis etiam retardatur, pulsus sentiri nequit, facies praesertim durescit, labiorum margines luteo colore tincti maternas mammas neque appetere, neque ullo modo cibum percipere possunt, alta lethargia et stupor magnus, nec vagit infans, nec movetur, tranquille jacet et quamvis vivus adhuc jam mortuus videtur. Haec omnia si ad summum fastigium pervenerunt, luteus et sanguinolentus defluit liquor ex ore et naribus. Convulsionibus vero moribundus non afficitur, id quod alii affirmant. Contra si convalescit infans, durities tollitur et evanescit praesertim primum in palpebris et antibrachiis, deinde in partibus posterioribus, color alius, nempe canus et turpis apparet, respiratio fit frequentior, thorax magis dilatatur, pulsus per cutem nunc oedemate carentem sentitur, vox redit, mammas maternas fortius et jucundius infans jam exigit et oculos aperire solisque lumini obvertere incipit, somno solutus expergiscitur et excitatur, musculorum motus jamjam redeunt, bonam valetudinem pollicetur convalescens. Per longum autem tempus partiale oedema restat pedum et crurum, color violaceus

non mutatur, cutis laxa, mollis, rugosa dependet, respiratio laboriosa et saepe interrupta, pulsus irregularis, debilis, non bona fruuntur convalescentes specie, sed pallent. Heyfelder solus recidivum vidit morbum.

Complicationes.

Dividuntur in eas, quae una cum morbo nascente incidunt, et eas, quae infantem jam affectum corripiunt. Rarissime initio morbi alia inveniuntur quam vulgari oedematis decursui propria. Saepe scriptores de convulsionibus loquuntur, sed, ut jam supra diximus, diffidendum, quum recentiores, nisi quod Valleix id semel vidit, hoc numquam observarent. Nonnumquam pneumonia intra secundum vel tertium morbi diem apparet; hujus autem diagnosis valde est difficilis, quum perpauca tantum respirationis impeditae exstent symptomata. Quam adesse ut cognoscamus, praeter inspirationum frequentiam et pulsus celeritatem maximum momentum afferunt auscultatio et percussio pectoris. Ex sono enim thoracis obscuro et fusco, praesertim in posterioribus pulmonum partibus, hepatisationem incipere licet colligere, quam sonus respiratorius, qui crepitui etiam bronchiali similis est, comitari solet. — De ictero jam supra dictum. Saepissime portus et refugium ignorantiae erat, quum cutis mutationem, qualis in recens natis semper exstat, plurimi plane nescirent, itaque naturalem illum colorem, alium sane atque in adultis, pro ictero haberent. Magni sane nonnunquam praeternaturalis cutanei coloris gradus adsunt, ipsam scleroticam luteam videmus, universam cutem vero obtectam ictero. — Gastroente-

ritidis, quae etiam aliquando morbo ineunte animadvertitur, symptomata haec sunt: alvi obstructionis locum diarrhoea obtinet, maxima ex parte oedema ipsum evanescit, infantum corpora macie contabescunt, cutis color mutatur, livet et in quibusdam partibus maculas liveas, scorbuticis haud dissimiles ostendit, durities a priore differt potiusque habenda est induratio telae adiposae, quae certam mortem jam pronunciat. Praeter has complicationes modo relatas alii aphthas malignas, ophthalmiam purulentam et erysipelas cum oedemate animadvertebant.

Aetiologia.

Primis plerumque ab ortu diebus morbus invadit infantes, paucis post partum horis usque ad diem quartum vel quintum; Valleix numquam post diem vitae quartum, Heyfelder vero saepius duabus post partum hebdomadibus, Billard usque ad octavum diem, quin etiam Stuetzius exemplum trium mensium vidit et Naudeau, licet rarissime, infantes duorum annorum hoc malo laborasse testatur; Henke [1]) denique puellam adeo viginti et quatuor annorum in hunc morbum incidisse refert. Libenter hunc ultimo loco memoratum casum his pagellis traderem, quum valde memorabilis notatuque dignus sit, sed quoniam Henkiana illa expositio, parum clare et perspicaciter perscripta, omnia phaenomena eaque gravissima et in morbi diagnosi cognoscenda memoratu dignissima leviter tantum et extremis, ut dicitur, digitis attigit, ad oedema illustrandum cognoscendumque

---

[1]) Henke, Kinderkrankheiten.

nihil prodest, ita ut, quam describit in illa virgine cutem oedematosam, ad alias potius pertinere res statuerim, nec verum fuisse oedema, quale in infantibus recens natis reperimus. Unicum autem oedematis chronici exemplum hoc existit. Nec minus vera mihi videtur ista, quam multi afferunt, opinio, persaepe jam foetum hoc morbo affectum et valde obnoxium esse, eoque facilius affici, quo magis matris foetum gerentis vivendi alendique ratio periclitetur. Huc adde, Uzenbezii, quod exemplum omnes ut congeniti oedematis documentum sexcenties excitant repetuntque, observationem plane non inter infantis partum factam esse; at si auctores diligentius perlegissent, facile eos intellecturos fuisse, obstetricem „officio ignaviter fungentem" partui solam affuisse, et ipsum Uzenbezium postea demum mulieri enixae succurrisse. Quae quidem omnia, si ullus conjecturis locus concedatur, simili modo facile in contrarium explicari possint, ita ut oedema paullo post infantem natum apparuerit. Legrand, princeps obstetricum, in nosocomio Parisiensi maternitatis ne unicum quidem congeniti oedematis exemplum observavit. Maxime autem morbo obnoxii sunt infantes imbecilli et infirmae valetudinis et qui maturius in lucem producuntur. Infantes et mares et sequiores aeque malo succumbunt, quamvis, Heyfeldero auctore, tempora inciderent, ubi imprimis pueri, et rursus alia, ubi potissimum puellae corripiebantur malo. Itaque his caussis praedisponentibus excussis, ad alteram partem, qua occasionales caussas complectemur, transeamus; quibus rebus recognitis certior patebit aditus ad ipsam noscendam morbi naturam multiplicemque originem. Quaecunque cutis functionem turbare possunt, ea in caussa quoque sunt, ut morbus

oriri queat; sed hae conditiones quum aliae aliis anni temporibus sint, magna proinde inter gravitatis gradus diversitas conficitur. Primi frigidi humidique dies auctumnales vulgo ortum citius efficiunt, qui per totam deinde hiemem magis magisque gliscens usque ad primos veris dies haud facile recedere solet. Neque tamen quo oriatur, quo maxime augescat, quo finiatur morbus, accurate constitueris tempus, licet Auvity Octobri mense plerumque eum oriri pronunciet, medio mense Aprili evanescere, aestate raro tantum exstare. Tabularum hunc in usum a Billard et Valleix institutarum conspectu adhibito, si numerum infantum mensibus aestivis oedemate correptorum cum illo eorum, qui hieme eodem morbo affecti erant, comparaveris, hieme morbum frequentiorem quam aestate esse et tertia tantum ad summum parte inter se utrumque tempus differre, et illud falso statui intelliges, morbum per aestatem omnino non adesse aut evanescere. Minus igitur secundum ea, quae supra exposita sunt, siccum quam humidum frigus ad morbum conflandum valet, cujus rei argumentum fortasse et inde peti poterit, quod hunc morbum locis maxime inundatis Souville se observasse nunciat. Raro infantes, qui in abundantiae quasi gremio nascuntur, morbo tentantur, nam quum commoditates quaeque inde a primo vitae momento illis sint paratae, quae provida est amantissimae matris sollertia, jam hac conditione nullus fere orienti morbo relinquitur locus. Humida, obscura, sordida domicilia plurimum conferunt, et mundities neglecta, minorque infantum lavandorum cura habita. Quae res omnes quum una in hospitiis infantum expositorum existant, quid mirum, si in unum confluant, quo funestissima recens natorum strages editur. Imprimis vero id Lute-

tiis Parisiorum fit, ubi magna semper versatur recens natorum copia in nosocomio, quod vocant l'hôpital des enfants trouvés. In aliis etiam urbibus magnis, uti Souville teste Caleti, Moscatio Mediolani, Hulmio Londini eadem fere copia exstabat, Germaniamque quoque occupat, ubi nonnullarum urbium in nosocomiis, ut Vindobonensi et Berolinensi, interdum plurimos enecavit infantes. — Priusquam autem de ipsa oedematis natura et indole agam, et ipsis rebus, quibus gravissimae morbi nascentis caussae assignandae sunt, jam pertractatis, medias in res incurram, antea opiniones sententiasque et veterum et recentiorum scriptorum, qui huic malo operam navarunt, breviter et presse, quantum quidem per fines nostros licebit, afferendas esse puto, quum fortasse ex his multa peculiaria judicia, quorum praestantia nobis causam morbi quaerentibus prodesse potest, vel ex quibus refutandis certior et tutior quaedam medendi ratio fit, nascantur et eruantur. Quare ab antiquissimo scriptore, **Uzenbezio**, exordiar.

Historici tantummodo momenti hujus auctoris est opinio. Se haud plane infitias ire ait, imagini in gravidis alias multum potenti aliquid esse adscribendum, quamvis ex puerpera nil plane expiscari potuerit; non adeo autem absonum esse, quam illa catholicae fidei firmiter fuerit addicta, in cujus templis vulgo copiosissimus imaginum sculptilium et statuarum numerus reperiatur, ex quarum attenta vel religiosa contemplatione rigorem foetui communicari potuisse. Neque vero de his, neque de illa opinione, qua liquori amnii propriam tannantem tribuebant vim, qualem Lefebure de Villebrune attulerat, plura dicemus, sed ab his somniis ad alia saniora animum advertemus.

Doublet deinde morbum se nonnisi in infantibus syphilide affectis conspexisse, et praecipue syphiliticis matribus oedematosos liberos procreari confirmat. Quae vero ratio inter syphilidem et oedema intercedat, de eo et ipse et ille Goelis silet, qui opinionem suam ex juvantibus et nocentibus, ut dicimus, probare studet, quum antisyphilitica curandi ratione ad bonum eventum pervenerit. Sed haec minus mira fortasse videbitur sententia, neque adeo sustineri poterit ab iis, qui nosocomio illo Vaugirardiano, cui Doublet praeerat, syphiliticos tantum recens natos receptos esse secum reputarint.

Quae vel hodie plurimos defensores habet, est illa ab Andry et Auvity prolata sententia, secundum quam succis adiposis frigore se coagulantibus et condensantibus morbum deberi putabant. Auvity his confirmat fere argumentis sententiam suam: „La constitution de l'atmosphère, inquit, est bien éloignée de la douce température, dans laquelle l'enfant est plongé avant de naître, plus l'impression qui résultera de cette différence, sera violente pour lui. Si cette constitution est froide, l'air, par son intemperie, comprimera toute la surface de son corps, les pores de la peau se resserreront, la matière de l'insensible transpiration sera retenue; de là l'épanchement de cette humeur dans le tissu cellulaire. Si cette température n'est pas modifiée, les solides d'abord se crispent et les fluides s'épaississent; ensuite les uns se roidissent et les autres se condensent; de là la roideur et l'immobilité des membres, de là la coagulation des sucs adipeux, l'engorgement et la dureté dans le tissu cellulaire. Par une conséquence nécessaire de la même

cause, la circulation se ralentit et diminue sensiblement; la constriction des vaisseaux devient considérable et la compression des globules est extrème; de là le froid, qui se fait sentir aux extrémités et sur toutes les parties éloignées du coeur et la couleur rouge, pourpre ou livide, qui doit s'y faire remarquer. Dans cet état, la chaleur naturelle, qui, dans un enfant naissant, est considérable et en même temps très-disposée à se dissiper, tendra bien un peu à se développer, mais non pas avec assez d'énergie pour surmonter l'excès du froid qui l'absorbe; d'où doivent résulter l'inertie de toutes les fonctions, une stupeur, un engourdissement universel et un état de mort apparente." Quod frigore vult vir doctissimus succos adiposos (taceo non satis distinctum literisque dignum id genus dicendi esse) condensari, id minus probandum videtur propterea, quod, hanc si caussam statueres, aestate, qua non minus frequens morbus invenitur, gravissima caussa sublata esset. Quomodo deinde condensatum esse aliquid et se coagulasse tibi persuadere possis, ubi post mortem serum humidum animadvertis?

Hulme veram morbi causam in thorace latere atque ab inflammatione pulmonum repetendam esse statuit.

Troccon vero hanc sententiam in eo mutavit, quod frigore, postquam corporis peripheriam debilitavit adeoque cutem ad indurationem disposuit, vel ipsam induravit, medio in corpore irritationem excitari posuit, quo peripneumonia oriunda esset. Peripneumoniam autem rarissime adesse, pathologica docet anatomia, neque intelligendum, quo modo illa cum induratione cutis conjuncta sit.

Underwood, sicuti Marcus[1]) et Richter[2]) oedema nihil aliud esse nisi erysipelatis formam putant. Plurimi hanc opinionem sequuntur scriptores Germanici, veluti Henke eam comprobat, oedema esse erysipelatis speciem disserens, quod propinqua conjunctione cum erysipelate et ictero conjunctum sit.

Ac ne Lodemann quidem his dictis alienus est, quippe morbi caussam in asthenica vel passiva inflammatione telae cellulosae posuit, et erysipelas infantile solum gradu inflammationis ab eo differre, telaeque indurationem facile cum phlegmasia alba dolente puerperarum comparari posse contendit.

Stuetz vero morbum tonico telae cellulosae spasmo effici posse censet. Initio enim tonicos et clonicos spasmos in musculis adesse, quorum postea etiam tela cellulosa particeps fiat. Quod cutis functionibus magno esse damno, ejusque secretioni haud exiguum afferre obstaculum et impedimentum, succorum motum circulationemque prohibere, unde coagulatio et condensatio facile redundet necesse sit. Hanc vero opinionem neque pathologicis neque physiologicis argumentis niti quis non intelligat?

Broussais deinde de morbo nostro verba facit haec: „Le médecin physiologiste y reconnaît de suite une sorte d'érysipèle général, approchant du caractère phlegmoneux, puisque l'irritation se communique au tissu sous-cutané; mais cette phlegmasie ne peut offrir qu'un faible degré d'intensité, vu le peu d'activité du système

---

[1]) Entwurf einer speciell. Therap. T. 3. §§. 69. 70.

[2]) Specielle Therapie. p. 201.

sanguin dans un âge aussi tendre. Voilà pourquoi nous la voyons s'éteindre après avoir produit un appel considérable de fluides gélatinoso-albumineux dans le tissu cellulaire. C'est avec beaucoup de raison que M. Alard l'avait rapprochée de son éléphantiasis."

Quam in sententiam quadam ex parte Denis discedere videtur, telam cellulosam irritari statuens, qua re serum et oedematosus auctusque adeps procreetur; sed jam ideo minus illa probanda, quod phlegmasia telae cellulosae aliis certe indiciis quam iis, quae conspiciuntur in oedemate, proditur et plane diverse decurrit et ad alios exitus, utpote ad suppurationem vergit, qualia in oedemate nunquam observata sunt. Neque minus vaga, quin etiam falsa illa est cum illi, tum multis aliis probata sententia, oedema a gastroenteritide (quam Denis phlegmasie digestive vocat) provenire, id quod intima sympathia, qua tela mucosa cum cute juncta et connexa sit, illustrare student. Verum enim vero his studiis in perscrutanda morbi natura nihil profecerunt. Imo falsa esse ista cadaveribus inspectis declaratum est, quum membrana mucosa intestinorum aut nullo, aut parvo tantum modo mutata inveniretur. Qua de re jam antea in anatomia pathologica pluribus egi.

Paletta denique, quum in qualibet anni tempestate infantes oedemate affici possint, potior autem eorum numerus hiberno tempore afficiatur, non sine justa ratione praecipuam causam in frigore ponendam esse censet, per quod compresso thorace, pulmones adstricti pauxillum aëris hauriunt, neque dilatari, ut oportet, aut explicari queunt. Huic caussae addit obstetricum imperitiam, quae festinanter nimis funiculum ligare et praecidere

satagant, unde sanguis in umbilicali vena coacervatus in cavam venam et in sinum cordis praecipitanter ruens in minimis pulmonis lobulis consistere cogatur.

His jam expositis, eam sententiam, quam omnes ferme recentiores auctores, uti Heyfelder, Billard et Valleix secuti sunt, et parvo tantum inter se discrimine probarunt, atque ego quoque veram habeo, subjungam. Procul dubio omnibus quae per vitam incidunt symptomatis et mortuorum sectionibus eo ducimur, ut in hoc morbo respirationem circulationemque mire turbatam et impeditam esse credamus, qua re sanguis sistatur. Ita quidem deficiente sanguinis circulatione frigoris symptoma satis declarari posse crediderim; de eo vero, quomodo inde, quod haud ita multum oxygenii ex sanguine secernatur, serum in cute deponatur, indicium cohibendum putarim, quoniam ut mea quidem sententia fert, satis probabile, licet fortasse minus accuratum judicium rectius sequimur, quam ad rationis expertes veterum scriptorum conjecturas revertimur. Jam, ut omnia breviter concipiam, et recens natorum debilitatem et frigoris vim et iniquas istas rerum conditiones, quales in infantulorum expositorum hospitiis praecipue concurrunt, magni in hoc morbo conflando momenti esse, nemo facile negabit. Ex cutis vero functione impedita hydropem anasarcam oriri posse, acuta exanthemata et alii morbi docent, quod sane simili analogia explicari potest.

Diagnosis.

Mirari subit, morbum talem, qualis est oedema recens natorum, indiciis, quibus ab aliis dignosci possit,

insignem haud clare semper cognitum esse: at quem historicae de eo institutae quaestiones perfecerunt cursum, eo aperte probatur, in quot quantosque errores medici hunc morbum describentes inciderint, quid in eo dignoscendo miscuerint, turbarint, quantopere in eo describendo a vero aberrarint. Nolo nunc repetere breviter, quaecunque oedematis indicia ejus diagnosin et adjuvare et confirmare possint, quum illa in symptomatologia satis copiose a me descripta esse arbitrer, sed id facere non possum, quin nonnullos commemorem morbos, quos licet omni in re differant ab oedemate, saepius erroribus locum dedisse, plures morborum historiae demonstrant. Maximam gravissimamque diagnoseos difficultatem semper jam exhibuit

Erysipelas infantum. Quem morbum indicia nonnulla produnt, quae in oedemate frustra quaesieris; hic rubor ille cutaneus proprie inflammationi debetur, hic cutis splendescens caeruleam quandam speciem praebet, doloribus vexatur, calet, ibi cutis color est subniger, flavus totumque corpus frigore tentatur. Pulsus ille in erysipelate febrilis in oedemate evanescit. Dum in oedemate cutis durities certis tantum in corporis partibus, praecipue in extremitatibus adaucta est et a calce ad caput serpit, erysipelas inde ab umbilico et genitalibus exorsum maxime in trunco conspicitur. Desquamationem, bullarum formationem, gangraenam nunquam in oedemate conspexeris. Ubi in erysipelate illa oedemati propria dyspnoea? ubi ista debilis respiratio? ubi ille non sentiendus pulsus? ubi debilitas totumque infantem vehementissime corripiens torpor? Quamobrem nonne pro certo habere licet, nonnullos scriptores, ut Nau-

deau, qui semper febrem videre sibi videbatur, ut Auvity, qui morbum in gangraenam exeuntem observabat, ut multos alios, qui differentias nonnullas in oedemate numquam conspicuas deprehendebant, erysipelas cum oedemate confudisse? Sed pauca haec sufficiant, quum enim alius morbus etiam saepius non perspectus sit, in hunc nostra est cura convertenda. Dico vero

Indurationem telae adiposae (endurcissement adipeux), quam ubi Dugès et Denis majore cura dignam habuerunt, Valleix primus anatomicis signis accuratius definivit. Nequaquam oedematis variadio est, a quo omni ratione diversa aut infantes in agone ipso corripit aut in mortuis conspici potest. Magna igitur jam differentia, vel quod ad ortum attinet, inter morbum statim inde a partu coorientem, et pathologicum quendam processum exeunte aliquo morbo incidentem. Saepissime etiam illam indurationem invenias in infantibus, qui per noctem, praesertim hiemalem sectionis mensae in theatro anatomico impositi erant. Cutaneus color in induratione telae adiposae non violaceus, sed albus aut subflavus, cerae similis est, subjectis musculis ita firme cutis adhaeret, ut neutram in partem eam promovere aut plicare queas. Ita obduruit et distenta est, ut ne digito quidem prementi cedat. Quae omnia signa satis illam indurationem ab oedemate discernunt. Adeps induratus plane alias atque oedema corporis partes obtinet, imprimis buccas, extremitates superiores, dorsum, anum, partem thoracis anteriorem, dum partes oedemate affectae semper fere hujus indurationis telae adiposae immunes sunt. Ita in uno eodemque corpore utrumque

sane morbum inveneris, sed utrique suus isque discretus locus assignatus est, ut ita neuter in una eademque parte cum altero coëat, sed uterque ab altero remotus inveniatur. Frigus tantum et singularis, quem supra descripsi, clamor utrique morbo conveniunt. Adde, quod pathologicis, quae in defunctis reperiuntur, mutationibus satis discrimen utriusque morbi illustratur. Si quidem oedematosam percideris partem, haec tria diversa strata invenies: cutem, panniculum adiposum et telam cellulosam lamellosam, ex quibus postrema saepe dimidium pollicis crassa est, magnamque seri copiam emittit; panniculus ipse adiposus attenuatus esse videtur, flavum rutilumque colorem, massas adiposas interstitiis oedematosis inter se discretas habet: contra in induratione telae adiposae est tela cellulosa tenuissima, alba, sicca, induens, ubi dirumpitur, filamentorum formam, tela adiposa non est attenuata albumque refert plerumque colorem, adeps ipse solidus, durus. In oedemate cutis mollis magnam sanguinis copiam continet, qui magnis nigrisque guttis ex vasis emittitur; in induratione telae adiposae magis obdurescit cutis, nec nisi parcis parvisque guttis defluit. Quae modo allata indicia ubi considerantur, quis utrumque morbum inter se differre non intelligat? quis alterutrum alterius varietatem esse contendat? Dugès primus omnium indurationis telae cellulosae duo genera varia statuit esse, alterum variété concrète, alterum variété oedemateuse vocans; Denis deinde variété adipeuse et variété séreuse posuit; Lodemann denique non minus duas hujus morbi species discrevit, quarum altera in tela cellulosa, altera in musculis sedem haberet. Profecto mirum videtur, vel qui

recenti memoria de infantum morbis scripserunt, ut Henke, Joerg, Wendt, multos alios, eos priorum auctorum hac de re sententiam relinquere nondum potuisse. Neque magis Denisianam opinionem meam facere queo, qui in oedemate tres gradus constituere vult.

Nonnullas deinde morborum descriptiones a superioribus scriptoribus proditas quum legimus, nequaquam cautum esse intelligimus, ne hic morbus cum *trismo* aut *tetano* permutaretur, quamvis profecto ne assequi quidem possis, quomodo illi permixtioni locus datus sit. Quam raro convulsiones, perpetuae illae trismi et tetani comites, in oedemate exstant! Numquam hic spasmodicos insultus conspicimus, qui clarissime et apertissime in tetano expressi sunt. Numquam maxillas spastice contractas videmus, semper in oedemate digitum, quamvis saepe aegre id fiat, in pueri os inserere possumus. Ubi in trismo vehemens ille corporis superficiei rigor? ubi iste pulsus abnormiter retardatus? ubi proprius ille clamor? quae symptomata in oedemate numquam desunt. Summum vero gravissimumque utriusque morbi discrimen in eo positum esse volunt omnes, imprimis Germanici medici, quod diagnosis trismi, cutis ubi in subjectis musculis distorqueri possit, nulli dubitationi obnoxia sit: quamquam, id quod jam supra ostendisse nobis videmur, idem et in oedemate fieri potest. Itaque hoc ex plurimorum virorum doctissimorum sententia gravissimum indicium fortasse in permixta cum hoc induratione telae adiposae situm est.

Prognosis.

Prognosis ea potissimum ratione est mala, quod gravissimi momenti organa affecta sunt, tum difficillime causae removeri queunt, denique maxime debiles sunt infantes. Peior eadem est hieme quam aestate; frigida humidaque aëris temperatura faciliorem ei oriundi copiam praebet, semperque fere ad letalem perducit exitum. Quo celerius igitur statim post partum infans corripitur, quo debilior infirmiorque est, quo serius medici auxilium advocatum, eo periculosior existit exitus. In expositorum quidem infantum hospitiis peior constituatur quam rebus minus adversis prognosis. Ubi satis mature sano matris lacte aluntur infantes, saepe morbus ad prosperum vergit exitum. Mortuorum numerum alium apud alios scriptores invenio. Ita dum Andry ex 19 infantibus 9 sanatos esse scribit, Loder[1]) anno 1810 a Bruni ex 100 infantibus 55 servatos esse refert. Goelis[2]) vero longe omnium prosperrime oedema curavit, antisyphiliticis remediis usus, ut non plus quam 8 ex 40 hoc morbo consumerentur, et Tenon[3]), quum Parisiensi brephanotropheo sex milia quotannis recipiantur, 500 tantum oedemate mortuos esse refert. Inde ab anno 1816 infantum oedemate aegrotantium numerum

---

[1]) Bemerkungen über ärztliche Verfassung und Unterricht in Italien. Leipzig, 1812.

[2]) Medicinisch-chirurgische Zeitung. 1815. No. 85. p. 128.

[3]) Mémoires sur les hôpitaux de Paris. 1816.

tertia parte imminutum esse Brechet tradit, id quod inde fortasse factum est, quia omnes, ubi recepti erant, infantes a sanis nutricibus alebantur. Plurimi 19 inter 20 mortuos esse perhibent.

Cura.

Multa auxilia in usum vocata sunt, quibus medici aegrotantibus infantulis succurrerent, sed quia curatio in id unum plerumque intenta erat, ut durities artuum et frigus dispellerentur, ob id ipsum effectu aliquo caruerunt. Huc accedit, quod plurimi, a falsa morbi theoria profecti, aegrotos quoque secundum omnes illius regulas tractare studuerunt, quod sane ad morbum sanandum inutile, imo perniciosum erat. Revera Auvity morbum facilius praecavendum quam curandum esse ait, quoniam haud difficile sit, caussas morbum procreantes evitare. Quam ob rem jam inter ipsum partum foetum quam maxime ab aëre frigido arceri, corpus totum aqua calida non sine frictione immergi, subtilissime ex balneo sumi et linteis calefactis siccari jussit. Statim post partum et primis hunc insequentibus diebus infantem aqua calida saponeque infecta lavari vult, linimenta vero oleosa vel spirituosa, quae permulti ejus aequalium adhibebant, reprobat maximamque curationis partem prophylaxi contineri vult, plurimum recens natis accurate et munde conservandis tribuens. Qua ratione multa animadversione dignissima in medium affert, indicationemque curae accuratiorem et circumspectiorem proponit quam eorum plerique, qui una cum ipso aut post ipsum

vixerunt. »Ramollir, dicit, et rendre la souplesse naturelle à des parties endurcies, rétablir dans ces parties la circulation arrêtée, y restituer la chaleur naturelle, obtenir la resorption ou provoquer l'évacuation du fluide, qui est épanché, voilà en général les objects que l'on doit se proposer dans le traitement.« Morbi initio obdurata et rigida membra obtegit cataplasmatis emollientibus, sub finem fomentationes tonicas ex decocto scordii, chamomillae, meliloti et chinae adhibuit, qua in re iterum balnea supra commemorata et frictiones commendat. Emplastra quoque vesicatoria imposuit, quae ei ter, Andry novies prosperum pararunt successum.

Simulac igitur prima indicia morbi se ostenderunt, Hulmio auctore, vomitus movendus atque hujus caussa pulvis ex granis jj — jjj radicis ipecacuanhae cum granis x sacchari albi dandus est. Paucis horis post catharticum e radice rhei et magnesia carbonica $\bar{\alpha}\alpha$ gr. jv — v; postridie pulvis ex hydrargyro muriatico miti gr. j cum saccharo alb. ℈ j, qui quotidie matutinis vespertinisque temporibus usque ad finem morbi porrigendus est. Extrinsecus membris imposuit hic medicus cataplasmata emollientia fomentaque ejusdem generis; partes quoque affectas spiritu vini camphorato illini atque etiam emplastra vesicatoria superimponi et infantem inter curationem lacte materno solo semper ali jussit. Haec vero medendi ratio non certis nititur argumentis, nec certas habet curae indicationes, et profecto haec curatio, ut nimis heroica, tenero infantum organismo valde perniciosa est, ut haud facile ea sequenda esse videatur.

Paletta quum omnia haec remedia graviori malo non sufficere expertus esset, eorum investigationem perse-

quutus est, quae ad depellendum morbum aptiora videbantur. Quindecim infantum quinque ab eo sanati sunt, quum iis dimidium grani kermetis mineralis bis terve quotidie dedisset, artusque farinis cum camphora mixtis involvisset. Postea vero principiis anatomicis et pathologicis, hucusque ignotis, morbi naturae vestigia se explorasse ratus, sanguinem stagnantem reddi mobilem fluidumque necesse esse putavit, quod efficere non poterat nisi illo ex aliqua parte detracto. Hac igitur medendi ratione instituta, ex 43 infantibus unus solum periit, postea ex 62, tribus exceptis, omnes sanati, denique ex 50 duo solum denati sunt. Qui quidem faustus eventus paene incredibilis est et ab omni abhorret fide. Praecipua porro ejusdem curationis ratio haec erat, ut hirudines tres quatuorve cruribus admoverentur, corpusque totum aqua calida quotidie non sine frictione immergeretur. Plerumque semel sanguinem detraxisse satis ei erat in fortioribus, in debilioribus autem idem saepius faciendum est, indiciumque desistendi a mittendo sanguine erat calor, qui illico partes rigidas invadebat.

Quae quidem Palettae experimenta a Francogallis, praesertim a Billardo et Valleix, repetita felicem habebant successum et revera etiam haec sanguinis missio summum et gravissimum hujus morbi est remedium. Etenim si omnia, quae a nobis observantur, complectimur illaque, quae anatomia pathologica conficiuntur, argumenta cum phaenomenis inter vitam conspicuis comparamus, duae evincuntur curae indicationes, nempe primum haemostasin, qualis in omnibus fere organis reperitur, tollendi et removendi, deinde cutaneam transpirationem adjuvandi, promovendi et accelerandi. Quarum

igitur prior ut expleatur curae indicatio, nullo modo facere possumus, quin hirudines applicemus; attamen sanguinis missio quamvis primum in hoc curando morbo obtineat locum, cave ne justo plures uno eodemque temporis articulo adhibeas, quum sanguine nimio amisso permagnum facile detrimentum infanti afferri possit. Quo loco ponantur hirudines, nihil fere refert, at opportunissime id in regione cardiaca fiat. Cautius igitur quotidie una admovetur hirudo, semperque hac via pergitur, donec oedemate remoto naturalis cutis color restitutus sit. Maxima licet debilitate nonnumquam usi sint infantes, tamen semper fere hoc remedium salutem attulisse inventum est. Idem vero medendi genus illis promovetur, quae supra in prophylaxi commemorata sunt. Quam maxima diligentia a frigore arcendi sunt infantes, quem in finem bombyce crispa et stipata commodissime involvuntur. Lectulus calefaciendus, hieme ad fornacem, aestate in apricum ferendus, et semel iterumque infans aqua 30 — 32 ° R. calida lavandus est, cui species aromaticae additae sunt. Remedium gravissimum, interiori usui destinatum semper praebetur matris lacte, quod infantis aegre sugentis ori inspergendum est.

VITA.

Natus sum Joannes Augustus Oehlitz, fidei evangelicae addictus, Hamburgi anno MDCCCXXIII die XVII mensis Junii patre optimo Augusto, quem dira morte praematura jam longe mihi ereptum maxime lugeo, matre Maria e gente Freydag, quam vivam adhuc veneror. Primis litterarum elementis per aliquod tempus privata institutione imbutus, Joanneum Hamburgense, quod directore Cl. Kraft floret, per annos septem et dimidium frequentavi. Tum maturitatis testimonio munitus, tempore paschali anni hujus seculi XLIII almam adii universitatem Halensem, ubi a prorectore magnifico Ill. Bernhardy receptus, apud Ill. Krukenberg, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum, nomen sum professus. Tempore ejusdem anni auctumnali almam petii universitatem Lipsiensem, cujus civibus ab Ill. E. H. Weber, rectore magnifico, adscriptus, annum unum et dimidium ibi commoratus sum. Hinc tempore paschali anni MDCCCXLV Heidelbergam me contuli et ab Ill. de Vangerow, prorectore magnifico, civibus academicis adscriptus sum. Tempore ejusdem anni auctumnali hanc almam petii Musarum sedem, inter cujus cives ab Ill. Trendelenburg, apud quem fasces erant academici, receptus ab Ill. Hecker, t. t. decano maxime spectabili, in album facultatis medicae relatus sum.

De variis litteris medicis audivi viros clarissimos disserentes hosce:

Halis:

Ill. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medicinae; Cel. Schaller de logice; Ill. Burmeister de zoologia; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. d'Alton de osteologia et syndesmologia; Cel. Steinberg de chemia anorganica.

Lipsiae:

Ill. Erdmann de chemia organica; Ill. Guilelm. Weber de physice; Ill. E. H. Weber de anatomia, de physiologia, qui idem cum fratre artem cadavera rite dissecandi me docuit; Ill. Hartenstein de psychologia; Cel. Naumann de mineralogia et geologia; Exp. Assmann de anatomia comparata; Cel. Bock de anatomia topographica; Ill. Braune de pharmacologia; Cel. Hasper de pathologia generali et semiotice; Cel. Neubert de therapia generali; Ill. Guenther de chirurgia, de aciurgia; Ill. Cerutti de pathologia speciali.

Heidelbergae:

Ill. Chelius de morbis oculorum; Ill. Naegele de arte obstetricia; Ill. Pfeufer de pathologia speciali; Exp. Hoefle de botanice medica.

Scholas clinicas frequentavi medicas Ill. Pfeufer; chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Chelius.

Berolini his interfui lectionibus:

Ill. Hecker de medicinae historia; Cel. Ideler de psychiatria; Exp. Ebert de auscultatione et percussione, de morbis infantum.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Jam vero tentamine medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione ac thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Tuberculosin inter et Scrophulosin nihil interest.
2. Affectuum matris psychicorum vis in foetum non est neganda.
3. Lues venerea ab America in Europam transmissa est.
4. Diabetes morbus est ventriculi.